



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Venerabilis Patris Thomæ à Jesu ... Opera Omnia**

Homini Religioso Et Apostolico Tam Qvo Ad Vitæ Activæ, Qvam Contemplativæ functiones utilissima, Duobus Tomis Comprehensa. In Qvibvs Singvlari Pietate, Varia Ervditione Clariori Et Breviori Stylo Continentvr Et Explicantvr ...

**Tomás <de Jesus>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1684**

Capvt IV. De Contemplatione Dei in sua imagine, donis gratuitis & supernaturalibus reformata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38621**



bet & Verbum genitum, & Amorem spiritum, qui necessariis distinguuntur, cum unus ab altero producatur; non essentialiter, non accidentaliter, ergo personaliter. Dum igitur mens seipsam considerat per se, tanquam per speculum consurgit ad speculandam Trinitatem beatam Patris, Verbi, & Amoris, trium personarum coeternarum, coequalium, & consubstantialium: ita quod quilibet trium in quolibet est aliorum, unus tamen non est alius, sed ipsi tres sunt unus DEVS. sic ille.

CAPVT IV.

De Contemplatione DEI in sua imagine, donis gratuitis & supernaturalibus reformatis.

IN hoc contemplationis gradu aspirantis divinae gratiae qualitatem, modos, effectumve cum attentione miramur, & cum admiratione ad Creatoris laudem assurgimus: quidquid enim boni in iustorum cordibus agitur, septiformis ille Spiritus per inspirationem gratiam operatur: nam sine cooperante gratia omnino non sufficimus, vel ad cognitionem veritatis, vel ad amorem virtutis. Si enim ex naturae operibus ad divinas perfectiones intrinsecas quasi per scalam ascendimus, plenius sane effectibus gratiae & gloriae, quorum maior est nobilitas, divina penetrabimus, & hoc est DEUM ex supernaturalibus effectibus cognoscere. In hoc igitur gradu contemplamur pariter & admiramur quomodo haec divina gratia tot animi affectiones quotidie in virtutes redgat, & in bona intentione figat; & quomodo insillat, ut omnis nostra affectio ab illicitis ad licita transferatur. Virtute enim huius gratiae agitur, ut affectus boni nutriantur, promoveantur, solidentur, ac ut affectus mali cohibeantur & destruantur, itaque hunc humiliat & hunc exaltat, suscitans de pulvere egenum, & de stercore ei gens pauperem. Nomen gratiae officium est ( ut recte considerat Richardus, quamvis in alio proposito, lib. 3. de contempl. cap. 23. ) totam illam internam familiam turbam, tot cogitationum, tot affectionum, pro arbitrio disponere, & imperantis more sub legibus subiugare? & cetera, quae latius prosequitur, & adduximus superius.

Ad hanc etiam speculationem reduci queunt, tam gratiae, quam gloriae mirabiles effectus. De gloria dicemus infra. Gratiae vero effectum & qualitates declarat idem Richardus lib. 3. cap. 24. Verum amen, inquit, quam magnam, quam mirabile illud esse creditur, quod quidquid virtutis in nobis operatur, nobis ad meritum imputatur. Et miro quodam incomprehensibilis modo sic nobis sua voluntatis beneplacitum inspirat, ut iuste nobis ad meritum reputari debeat, quidquid bonitatis eius in nobis gratia imprimit vel reformat. Salvo enim humanae voluntatis arbitrio, & omnino absque ulla coactione, qualibet bona voluntas per inspirantem gratiam in divina bonitatis placitum constat: & idcirco homini ad retributionem gloriam cumulat, quidquid ex libero mentis consensu in ipsa divinitus agitur. Operatur autem illa studiorum bonorum cooperatrix gratia quaedam in nobis quae sunt ad augmentum debiti, quaedam vero quae sunt ad incrementum meriti, quaedam autem quae videntur esse ad inchoationem praemij. Toties namque servituti nostrae debitum divina benignitas auget, & sibi nos magis obnoxios reddit, quoties in nobis scientia & sapientia dona accrescit. Hac itaque & qualibet eiusmodi in augmentum sunt debiti potius quam meriti.

Per gratiae & gloriae effectus facilius & plenius Deum cognoscere valeamus.

Multiplices divinae gratiae & operationis in nobis effectus.

Sed quidquid virtutis divina nobis bonitas inspirat, ad merita retributionis accumulatur: quidquid vero in tima suavitati, quidquid divina dulcedine mentibus nostris divinitus infunditur, ad praemij inchoationem eodem modo spectare videtur. Haec omnia operatur utique idem Spiritus. Nam & unctio eius docet nos de omnibus, & charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis, & nihilominus constat esse ab ipso quodlibet gaudium in Spiritu sancto. Vultu autem aperti nosse ad quem fratrem soleat Spiritus iste spiritum nostrum suscitare? Fratrem autem Spiritus est, ait Apostolus, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas.

Quam multa, & quam magna sunt quae Spiritus iste operatur in nobis, dividendis singulis prout vult? Divisiones enim gratiarum sunt, totam autem spiritum. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiae, alij sermo scientiae, alij fides, alij gratia sanctorum, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, & cetera innumerata in hunc modum. Pende, obsecro, quam sit spectabile, quamve salubre, has & huiusmodi divini Spiritus operationes in speculationem adducere, & in carum contemplatione animi suum ad humilitatem & charitatem roborare sic ille.

Inter opera autem gratiae primum sibi vendicat locum Christus Dominus; nam, ut recte Rupertus Abbas lib. 1. de operibus, est excellens, summum opus DEI: quae vero ratione per Christum Servatorem, ac per opera gratiae, debemus ad divina assurgere, sequenti Capite ex D. Bonaventurae doctrina, DEO dante, dicemus.

CAPVT V.

De eadem DEI contemplatione ex eius imagine donis gratuitis reformatis, ex D. Bonaventura.

HUIUS contemplationis materiam profundius omnibus aliis D. Bonaventura in capite 4. Trimerarum tradidit; quare contentanem diximus ejusdem verbis tam referre. Sed quoniam non solum, inquit ille, per nos transeundo, verum etiam in nobis contingit contemplari primum principium, & hoc majus est quam praecedens; ideo hic modus considerandi quartum obtinet contemplationis gradum. Mirum autem videtur, cum ostensum sit quod DEVS ita propinquus sit mentibus nostris, quod tam paucorum est in seipsis primum principium speculari. Sed ratio est in promptu: quia mens humana sollicitudinibus distracta, non intrat ad se per memoriam phantasmatibus obnubilata, non redit ad se per invidiam concupiscentiae illata, nequaquam revertitur ad seipsam per desiderium suavitatis interna & latrice spiritualis; ideo tot aliter in nobis sensibilibus jacens, non potest ad se tanquam ad DEUM agnere reverteri.

Et quoniam ubi quis ceciderit, necesse habet inde recumbere, nisi apponat quis & auctori ut resurgat; non potest anima nostra perfecte ab his sensibilibus relevare ad cantuum sui & aeterna veritatis in seipsa, nisi Veritas assumpta formae humanae in Christo fieret sibi scala reparans priorem scalam, quae lapsa fuerat in Adam. Unde quantumcumque sit alienatus quis lumine naturae & scientiae acquisita, non potest intrare in se, ut in seipso deleatur in Domino, nisi mediante Christo, qui dicit Ioan. 10. Ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pasca inveniet. Ad hoc autem ostium non appropinquamus, nisi in ipsam redamus, speremus, & amemus.

Tribus virtutibus Theologiae: quae sunt scientia, & caritas, & contemplatio.

Novem gradus, qui respondent novem ordinibus Angelicis.